



LECTORI

Benevolo S.

12
15643



*N*unc, amice Lector, quæ his Auctoris nostri Commentarius recens acceverunt, & hîc ordine repetuntur.

I. Singula in COLUMNAS sine aliquo, præterquam Librorum, aut Synopsium intervallo, exscripsimus.

II. PAGINAS Iurisprudentia obiectis, & libris titulisque insignivimus.

III. Textum PARAGRAPHIS distinximus, & singulis brevia argumenta, quæ scopum Iustiniani ostendunt, præfiximus.

IV. Quæ verò parenthesi sunt inclusa, non habentur in vetustis codicibus: nos autem perfectò rectòque sensu reddendo, ea tali notâ [] appositâ adhibuimus.

V. NOTAS insuper doctissimorum Scriptorum haud rarò inspersimus, quibus loca obscura illustrantur, & contraria invicem conciliantur.

VI. GRADVVM COGNATIONIS, & SVECCSSIONVM

descriptio





IOANNIS
BORCHOLTEN
IURISCONS.

In IV. libros INSTITUTIONVM civilium
DN. IUSTINIANI
COMMENTARII.

IN TITVLVM.

INSTITVTIONVM DN. IUSTINIANI
SACRATISSIMI PRINCIPIS PP.
A. LIBRI QVATVOR.

- 1 Institutiones quomodo differant ab Institutis.
- 2 Libri Institutionum, rectè Institutionum libri vocantur.
- 3 Imperatores olim Domini appellati sunt.
- 4 Iustinianus vnde oriundus.
- 5 Quibus parentibus Iustinianus procreatus & educatus.
- 6 Iustinianus à Iustino Consul creatus, itémque adoptatus est.
- 7 Cicero primus Pater patria dictus est.
- 8 Imperator cur Augustus dicatur.

INSTITVTIONES † in eo differre ab Institutis, Valla lib. 4. c. 1. elegantiarum tradit, quòd Instituta sunt mores, consilio & ratione sumpti, itémque incepta & proposita: Institutiones verò præceptiones, quibus instituuntur atque docentur homines. Et hoc plerique secuti, prima hæc iuris civilis

elementa Institutiones, † non etiã Institutis, appellari debere, affirmant: sed illis assentiendum non est, propterea quòd non solum Theophilus, Hermenopolus, & reliqui Græci Interpretes, verùm etiã Iustinianus ipse *in epist. Græcis, sibi præfixis*, hunc librum, Institutionum librum appellat. Florentinus quoque, Ulpianus, Paulus & alij, vt ex *fforum* indice constat, Institutionum libros scripserunt, & denique Vegetius & Probus, antiquissimi Grammatici, Instituta & Institutiones pro eodem accipiunt.

DOMINI. Olim † *Imp. Domini* appellabantur, l. 3. de his qua in testam. del. l. pen. ad l. Rhod. de iactu, idque nomen sibi primus Caligula, diademate, quæ candida fascia erat, Alex. ab Alex. lib. 1. gen. dier. c. 38. capiti imposito, vindicasse dicitur, vt Sext. Aurel. in Caligula auctor est. D. Augustus, vt maledictum & opprobrium semper exhorruit, Suet. Tranq. in Octau. Augusto c. 53. Alex. quoque Seuerus *Domini* appellari se vetuit, Lamprid. in Alex.

IUSTINIANI, † Hoc proprium nomen est nostri Imp. qui non in Dalmatia, vt quidam volunt, nec in Thracia, vt alij asserunt, sed in Pannonia secunda, quæ hodie Bulgaria dicitur, natus est. Ita enim Iustinianus ipse *in quadam constit.* quæ ad finem Nouelli. Iuliani pa-